

***Incorrupta dei suboles, rectorque regentis: la lingua della lode nella poesia latina cristiana fra
IV e V sec. d.C.***

Francesco Lubian (Università degli Studi di Padova)

1. *Laudes Domini*

1.1 *Laud. dom.* 92-93:

*Et quisquis natum iusto ueneratur honore
ambobus sua uota dicat uitamque perennem.*

1.2 *Lact. inst.* 4, 29, 14-15:

Non potest igitur summus ille ac singularis Deus nisi per Filium coli. Qui solum Patrem se colere putat, sicut Filium non colit ita ne Patrem quidem. Qui autem Filium suscipit et nomen eius gerit, is uero cum Filio simul et Patrem colit, quoniam legatus et nuntius et sacerdos summi Patris est Filius.

1.3 *Paneg. XI* [3], 7, 3:

Diuidere inter uos dii immortales sua beneficia non possunt: quidquid alterutri praestatur, amborum est.

1.4 *Paneg. VII* [6], 3, 1-2:

Quemnam igitur utriusque uestrum praeconii ac uenerationis ordinem faciam? Adhuc enim de amborum in hanc necessitudinem congruentibus uotis communiter dixi. Et te quidem sentio, senior Auguste, maiestate praecedere, te sequi, iunior imperator. Sed profecto [...] Constantine [...] nunc quoque in hac gratulatione prius illa dicenda sunt quae in te considerans tantus iste et paterni et tui auctor imperii laetatus est quod petisti.

1.5 *Laud. dom.* 32-38:

*Quis dedit affectum tumulo? Quis uincula soluit?
Vnde sepulta uidet uenturam coniugis umbram?
Tu facis haec, tu Christe Deus, tua signa mouentur
paulatimque doces sopita resurgere membra.
Tu, quem uenturum sancti cecinere poetae,
incorrupta Dei suboles, rectorque regentis,
quo sine nil magnum Genitor deliberat ingens.*

1.6 *Verg. ecl.* 4, 48-49:

*Adgredere o magnos (aderit iam tempus) honores,
cara deum suboles, magnum Iouis incrementum!*

1.7 *Laud. dom.* 143-148:

*At nunc tu dominum meritis, pietate parentem,
imperio facilem, uiuendi lege magistrum,*

*edictisque parem, quae lex tibi condita sanxit,
uictorem laetumque pares mihi Constantinum!
Hoc melius fetu terris nil ante dedisti
nec dabis: exaequent utinam sua pignora patrem!*

1.8 Paneg. IV [10] 1, 1; 4, 2:

Dicturus Constantini augustissimas laudes, qui tantum ultra omnium saeculorum principes eminent quantum a priuatis ceteri principes recesserunt [...] sentio nullam eloquentiam nec optari nec concipi posse quae dignam adferat aut tempori gratiam aut materiae copiam aut uestris studiis facultatem. [...] Quibus ad perficienda quae ingenerata sunt bona non segnibus uirtutum opifex disciplina coniungitur, ut spes aequiparandi patris certa sit; quippe indoles similis, sed sub eodem magistro discendi fortuna felicior.

1.9 Hor. carm. 4, 2, 37-40:

*Quo nihil maius meliusue terris
fata donauere bonique diui
nec dabunt, quamuis redeant in aurum
tempora priscum*

2. De laudibus Dei

2.1 Drac. laud. dei 1, 747-754:

*Aspice despectum, deiectum attolle parumper
confusumque iuuua, quia paenitet esse nocentem,
ut ualeam memorare tuas hoc carmine laudes,
quas potero (nam nemo ualet narrare creatus
uel modicum facientis opus), quod mens rea clamat
pectore contuso lacrimans et uoce fideli;
obses sermo tuus nostro nam corde tenetur
quo te promittis nimia pietate parentem.*

2.2 Drac. Romul. 6, 30-33:

*Non ego lasciuos opto mihi crescere sensus,
sed precor aspergant nostrum tua carmina pectus,
ut ualeam cantare tuos per uota triumphos
et mixtis saltare choris, cantare choreas.*

2.3 Drac. Romul. 6, 41-44:

*Quisquis adest sapiens scholasticus atque peritus
accurrit laudare uolens, cantare paratus:
quanto ego festinem laudes et carmina ferre
pro meritis animisque uirum?*

2.4 Drac. laud. dei 3, 735-744:

Seruatum reparare iube pietate sueta

*ut merear cantare tuas per carmina laudes.
Quamuis nemo tua praeconia congrua dixit
aut umquam dicturus erit, nam formula laudis
temporibus tribus ire solet, tu temporis expers.
Numquid habes, Deus, ‘ante’ tuum uel ‘post’ cadit in te?
Si laudator abest, narrator plenus adesset,
sed quis opus narrare tuum sermone ualebit?
Suspexisse Deum satis est de corde trementer
et lacrimis precibusque piis ueneranter adire.*

2.5 Drac. satisf. 49-52:

*Ipse meo domino Deus imperat atque iubebit
ut me restituat respiciatque pius,
Seruet, aui ut laudes dicam patriasque suasque
perque suas proles regia uota canam.*

2.6 Drac. laud. dei 2, 599-605:

*Cum te non caperent caeli terraeque fretumque
aeris et spatium, modico te corde reponis
pectoris humani conceptus mente fideli.
Exaudis quod lingua tacet sub corde loquaci;
ante futura uides, penes te nulla futura
sint licet, omnipotens: praesentia cuncta uidentur
aut transacta magis; nobis uentura creantur.*

2.7 Drac. laud. dei 2, 208-215:

*Te Seraphim Cherubimque Deum dominumque precantur,
te chorus angelicus, laudans exercitus, orat,
pronus et incessans humili te uoce precatur;
agmina te astrorum, te signa et sidera laudant
auctorem confessa suum, te fulmen adorat,
te tonitrus hiemesque tremunt, te grando procellae,
te glacies nimbique pauent, te spiritus omnis
personat, imber hiems pelagus nix frigus et aestas.*

2.8 Drac. laud. dei 2, 237-240:

*Te fera, te pisces pecudes armenta uolucres
turba cerastarum laudat, genus omne ueneni
sibilat ore fero, lingua uibrante trisulca,
et tibi quicquid habet reputans debere fatetur.*

2.9 Hier. in psalm. 148 (CCSL 78, p. 346, ll. 126-135):

*O quanta in istis mysteria continentur! Laudauerunt caelestia, laudauerunt inuisibilia, laudauerunt
uisibilia: nunc ad terrena descendit, et ad laudationem dei primum dracones et abyssi concitantur.
[...] Ne desperes igitur, o tu qui draco eras, qui tenebrosus eras, et deum laudare non audebas; age
paenitentiam, et statim conuerteris.*

2.10 *Drac. laud. dei 2, 1-4:*

*Omnipotens aeterne Deus, fons auctor origo
inuentor genitor nutritor rector amator
cunctorum quae mundus habet, quae celsa polorum,
quae caeli secreta tegunt produntque parumper*

2.11 *Drac. laud. dei 2, 28-31:*

*Te, Deus, auctorem, te nouimus omnia patrem,
te pariter dominum, qui das exordia rebus
et finem, sine fine parens exordia nescis,
spes hominum, rerum princeps mundique superstes.*

2.12 *Drac. laud. dei 2, 696-698:*

*erigit elisos, releuat tua dextra iacentes,
confouet abiectos et semper pascit egentes,
pocula larga parans sitientibus alma ministrat.*